



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Quid de comprehensione Dei scriptura doceat. c. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

nu, vel alia re comprehenditur, tota intra limites ipsius manus, esse debet, & capacitate illius finiri.

CAPVT II.

Quid de comprehensione dei Scriptura doceat.

Q Vanquam Scholastici omnes, quos seq. disp. commemorabimus, plane docent, Dei essentiam à nullo intellectu etiam beatorum comprehendendi, quantumvis ipsam clare intueatur: nullus tamen præter *Sotum in 4. dist. 49. quest. 3. art. 1.* & recentiores quosdam Theologos, aperte dicit, id esse certum de fide, tamen eam doctrinam ex Scriptura ipsa nonnulli probare contendunt. Sotus ergo, & alij recentiores putant esse fidei dogma, quod sine manifesto errore contra fidem negari nequeat, id vero Scripturæ, & Patrum testimonijs comprobare nituntur, quæ pauld post examinabimus. Ego vero existimo, de fide esse, Deum à beatissimis non posse comprehendendi, si comprehensio accipitur, ut definitur à quibusdam, pro noticia æqualis perfectionis cum ipso obiecto: nulla enim creata visio potest esse hoc modo æqualis cum ipso Deo. Cæterum quia non satis certum est, an hoc sit de ratione comprehensionis, & Theologi variant in assignanda ratione illius, atque nonnulli Scholastici dicunt, ipsam visionem, qua videtur quicquid est in Deo formaliter, esse etiam comprehensionem, quo pacto loquuntur etiam aliqui Patres, imo Scriptura ipsa, ut inferius ostendemus; ideo non videtur firmum fundamentum ex hac parte, ut dicatur, de fide esse, Deum secundum omnem modum loquendi esse incomprehensibilem, etiam à beatissimis, tamen à viatoribus comprehendendi non posse, de fide sit. Quare rem hanc aliorum iudicio definiendam relinquens examinare conabor, utrum Scriptura, & Patres asserant, substantiam Dei esse incomprehensibilem beatis lumine gloriæ præditis, an solum creaturis ex propria virtute consideratis: interim tamen pronuncians, iam licitum non esse, sed plane temerarium absolute docere, Deum à beatissimis comprehendendi posse cum communis Scholasticorum schola oppositum doceat, licet in modo explicandi ipsi Scholastici varie sentiant.

Primus locus Scripturæ, qui adduci solet ad probandum de fide, Deum esse incomprehensibilem, etiam si clare videatur, est *Magnus consilio*, & *incomprehensibilis cogitatur*: in quem locum Hieronymus ait: *Quem non comprehendit cogitatio, quomodo potest sermo comprehendere?* quæ verba ex ipso desumpsit auctor Glossæ interlinearis, & ordinariæ: Nicolaus quoque in eum locum, & Scholastici nonnulli sic interpretantur. Ego tamen existimo Ieremiam non fuisse locutum de comprehensibilitate essentiae, & substantiæ Dei, sed consiliorum eius, de quibus dixerat, *Magnus consilio*: consilia autem eius subinde explicauit idem Propheta his verbis: *cuius oculi aperti sunt super omnes vias filiorum Adam, ut reddas unicuique secundum vias suas, & secundum fructum adinventionum eius, qui posuisti signa, & potentia in terra Aegypti, &c.* magnus ergo consilio dicitur, eo quod omnium viam ita attente intueatur, ut iuxta merita unicuique retribuat. Cum vero dixisset, *Magnus consilio*, explicans consilij magnitudinem, addidit, *Et incomprehensibilis cogitatur*: hoc est, adeo magnus, ut à nullo creato intellectu cognosci possit: id enim solum significat

Valquez in 1. part. Tomus I.

incomprehensibilis: nam intellectus Angelicus, necdum humanus, sua solertia, & indutria scire nequit, quæ Deus decreuerit: imo vero nec aliqua ratione suspicari, cum potius frequenter non ut homo putabat, sed oppositum eueniat. At quis neget reuelatione peculiari, si Deus vellet, posse ab Angelis, & hominibus consilia voluntatis suæ comprehendendi: non loquor de consilijs, prout sunt ipsamet essentia diuina, cuius esse est intelligere, & scire, de hoc enim nec Propheta loquitur, quorsum enim hanc metaphysicam considerationem suæ orationi misceret? sed de rebus, quas ipse facere decreuit, quas appellat Propheta consilia Dei. Sicut cum quis interrogat, quodnam consilium cepit rex non interrogat de qualitate intellectus, qua deliberauit, sed de re ipsa: quare alius respondet, consilium regis fuit ire Toletum: expugnare hanc urbem, & similia. Eadem phrasi dicimus inscrutabilia esse consilia alicuius principis, non alia ratione, quam quia id, quod de liberat, occultum est: nam de ipsa mentis qualitate nihil tale asserimus.

Dicitur itaque Deus incomprehensibilis cogitatu, ex se ipso, quia nisi ipse palam reuelaret, cognosci non possunt ea, quæ ipsa facere cogitauit: nam & in Scriptura, & apud Patres comprehendere idem significat, quod aliquid ita cogitatione tenere, & omni ex parte cognoscere, ut nihil eius ignoretur. Sic igitur non puto impossibile Dei consilia comprehendendi in sensu explicato, si Deus vellet reuelare. Ideo vero censeo in Scriptura appellari incomprehensibilia, quia nulla creatura intelligentia sua assequi ea potest: neque aliquid aliud docere voluit Hieronymus, & auctor glossæ ordinariæ, etiam si Nicolaus sensum Scholasticorum sequatur.

In eundem sensum loquitur Scriptura *Quis profunda facta sunt cogitationes tuas, & deinde addit, Vir insipiens non cognosceret, & stultus non intelliget hæc*: ac si dicat, qui diuina tua sapientia, & reuelatione illustratus non fuerit, non intelliget, nec comprehendet, secus qui ea præditus est: *Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius, quis cognouit sensum Domini, &c.* Quibus plane verbis non de ipsa essentia in se, sed de rebus, quas consilio suo dicitur decreuisse, loquitur: cur scilicet Iudæi reprobat, gentiles vero electi fuerint, &c. Id ipsum expressit Sophar Naamathites *Forstæ tan vestigia Dei comprehendes: & vsque ad perfectum omnipotentem reperiens*, qui sane in hoc optime dixit: loquebatur vero, non de essentia Dei clare à beatissimis visa, sed de vijs, hoc est, consilijs Domini, ut explicatum est, quæ secundum se comprehendendi repugnat, nisi reuelentur, sicut etiam Iob c. 9. dicitur de Deo, *Qui facit magna, & incomprehensibilia, & mirabilia, quod idem est, atque ea non omnino cognosci.*

Secundus locus, qui videtur de Dei substantia, non de consilijs eius intelligi, est *Ne laboretis, non enim comprehendetis*, quem nonnulli Scholastici afferunt in confirmationem sententiæ, quæ asserit Deum à videntibus ipsum, non comprehendendi. Cæterum ex eo oppositum colligere, mihi videor: quare si verbum, *comprehendo*, in sensu Scholastico esset usurpatum eo loco, eorum sententia facile impugnaretur. In primis enim Ecclesiasticus loquitur ibi cum hominibus prædictis sæculi, eosque ad laudes Dei exhortatur, ut

Dei consilia qua ratione incomprehensibilia sint.

Hieronym. Gloss. Lyra.

Psalm. 91.

Rom. 11.

Iob cap. 11.

Secundus locus.

Eccles. 43.

Contra oppositam sententiam rectorum.

quantum fas est, ipsum commendat, & prædicat: sed ipsis non esse ita laborandum, ut putent laudes eius exacte prædicare posse: ideo dixit, *Ne laboretis, non enim comprehenditis*: reddit vero rationem his verbis, *Quis videt eum, & enarrabit, & quis magnificabit eum sicut est ab initio*: quali dicat, cum nemo eum viderit, sicuti est, nemo potest laudes eius nobis enarrare, quod si aliquis vidisset eum, posset enarrare, sicut Ioan. dixit, *Deum nemo vidit unquam: unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse narravit*, hoc est, nemo vidit Deum, ut hæc mysteria prædicare possit, nisi unigenitus, qui est in sinu Patris: de quo loco multa dicta sunt disput. 37. c. 6. vbi diximus, locum illum non de Angelis, sed de hominibus intelligendum esse: ergo sicut dixit Ecclesiast. *Ne laboretis, non enim comprehenditis*: sic etiam postea videtur dicere, cum posse laude Deum comprehendere, qui ipsum videt, veluti contra, qui non vidit, non potest: propterea dixi si verbum *comprehendo*, eo loco accipiatur in sensu Scholastico, potius ex illo testimonio oppositum deduci.

Ioan. I.

8

Vera loci
expositio.

Ego vero puto ibi comprehendere pro cognitione, & laude ei, sicuti est, usurpari, sicut alibi etiam in Scriptura apud Paulum, ut Scholastici faciunt. Quare non dubito Ecclesiast. non loqui cum Angelis videntibus eum, cohibens eorum conatum, ne putent se laudare Deum, sicuti est. Nam reuera sicut vident ipsum verbo expresso mentis suæ, sicuti est, eodem etiam ipsum laudant, & enarrant Dei substantiam, & excellentiam, sicuti est: quare vero secundum sensum Scholasticæ disciplinæ non dicantur Angeli Deum comprehendere, sequenti disput. patebit.

Tertius la-
cus.
1. ad Tim. 6.

Explicatur.

9

Tertius locus est vbi de Deo dicitur: *Lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, neque videre potest*, hoc est, lucem incomprehensibilem. Verum ille locus sicut etiam cap. 1. vbi Deus etiam dicitur inuisibilis, intelligendus est, sicut ille Ioan. 1. de quo diximus in disp. 37. c. 6. videlicet, Deum à nullo intellectu humano, sed neque Angelico propria virtute videri posse. Quare si quid est in illis locis, quod incomprehensibilitatem significet, sicut est vox *inaccessibilem*, idem significat omnino quod vox *inuisibilem*; ex quo non sequitur, à Beatis, qui diuino lumine præditi Deum vident, ipsum non comprehendere: in eundem sensum Dionys. 1. epist. ad Caium, & 7. cap. de diuin. nomin. in principio dixit, Deum esse super omnem mentem, & intelligentiam: quia, ut ait in illa epistola, perfecta ignoratio eius, vera est cognitio, eo quod viatores per negationes ipsum sciamus, intelligentes potius, quid non sit, quam quid sit, ut supra disp. 22. cap. 5. explicauimus.

Dionys.

CAPVT III.

Quid sentiant Latini Patres de hac re.

Cæterum ostendamus, vtrum Ecclesiæ, & Patres Latini, cum dicunt Deum esse incomprehensibilem, loquantur de illius incomprehensibilitate respectu beatorum, an respectu creaturæ ex propria virtute consideratæ. Et quidem, quæ notui diligentia, anno Domini 1585, dum publice Compluti in nostro Collegio Theologiam docerem, plura adduxi testimonia Sanctorum Patrum tam Latinorum, quam Græcorum, quibus videbatur probari, Deum à Beatis etiam non comprehendere, quæ sigillatim examinaui, & ostendi, hoc

illis non demonstrari, quibus postea recentiores aliqui vti sunt, ut ostenderent, de fide esse Deum à beatis vilo modo non comprehendendi, quæ in hoc cap. & seq. examinare decreui.

Atque in primis ex Concilijs solum proferri potest Lateran. sub Innocentio III. cuius decretum refertur in cap. *Firmiter*, de summa Trinitate, & fide Catholica, vbi dicit: *Firmiter credimus, quod vnus solus sit Deus, æternus, immensus, incomprehensibilis*. Verumtamen cum eodem cap. dicatur ineffabilis, & tamen lumine gloriæ beatī, sicut clare vident, sic etiam lingua mentis ipsum effari, & exprimere possunt, sicuti est, nec ipsis dicatur mente ineffabilis; sic etiam nec ipsis dicitur incomprehensibilis: dicitur itaque Deus viatoribus, vel rationalibus creaturis natura sua consideratis ineffabilis, incomprehensibilis, & inuisibilis, an vero ab ipsis beatis comprehendendi dicatur, minime curat concilium.

Primum tes-
timonium.
Concil. Late-
ran.
Innoc. III.
10

Sed vrgent aliqui hoc pacto. Ibidem definitur eodem modo, Deum esse immutabilem, atque incomprehensibilem; sed immutabilis est de potentia absoluta, ergo & incomprehensibilis. Respondeo diuersam esse rationem. nam incommutabilis dicitur absolute, non solum quia à nullo contrario, sed quia nec à seipso mutari possit, & sicut incomprehensibilis non dicitur à seipso, sed à creatura, sic etiam non negatur, comprehendendi posse à creatura, si ipse se velit reuelare.

Obiectio.

Dilatatur.

Cæterum ex Patribus adducemus primum in medium Latinos, qui pro opposita sententia allegari possunt, & ipsos explicabimus: deinde Græcorum Patrum testimonia afferemus, ex quibus omnibus probabimus, Patres nunquam locutos de comprehensione, sicuti Scholastici loquuntur, quoties negant Deum à creatura posse comprehendere: sed nomine comprehensionis solum claram Dei visionem intellexisse.

11

Primum testimonium est Gregorij 10. moralium, cap. 7. alias 10. in hunc modum. *In retributionis autem culmine reperiri omnipotens per contemplationis speciem potest, sed tamen ad perfectum non potest, quia, est hunc in claritate sua quandoque conspiciamus; non tamen eius essentiam plene contuemur*: cum ait, *in retributionis culmine*, videtur significare æternam beatitudinem: si ergo ibi plene essentiam Dei non intuentur beati, aut dicere debemus Greg. cum Chrysi. sensisse, Deum à beatis non videri clare: cuius oppositum constat ex disp. 37. cap. 2. aut non ita perfecte, ut comprehendendi dicatur: sicut Scholastici docent. Id quod verba sequentia confirmant, quibus rationem reddit eius, quod dixerat. Angelica enim, vel humana mens, cum ad in circumscriptum lumen inhiat, eo ipso se quo est creatura. conuulsat, & super se quidem per prouectum tendit, sed tamen eius fulgorem comprehendere, nec dilatata sufficit.

Primum Græ-
gorij testimo-
nium.

Chrysost.

Verum ego existimo Gregorium loqui non de beatis videntibus Deum, sicuti est, sed tam de hominibus, quam de Angelis, viatoribus tamen, & sine luminis gloriæ, sola gratia contemplationis præditis: de his vero dicit in culmine retributionis, hoc est, in altiori gradu contemplationis, qui in hac vita est veluti præmium bonorum operum, quantumuis ipsa creatura, natura quidem sua angusta, dilaret se ipsam; diuinæ essentia fulgorem in se videri non posse. Cum verò dicit, Deum in claritate sua à nobis concipi, non loquitur de clara visione, sed de contemplatione huius vitæ, quæ Dei

Expansitur.

12